

RECTOREM ACADEMIAE
MAGNIFICVM
ILLVSTRISSIMOS COMITES
PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLCAE
GRAVISSIMOS
COMMILTONES GENEROSOS AC NOBILISSIMOS
AD AVDIENDAM
ORATIONEM
DE
*PRAECIPVIS GERMANORVM
IN LINGVAS ORIENTALES
MERITIS
MVNERIS PRIDEM SIBI CLEMENTISSIME
COLLATI*
PROFESSORIS PVBLICI
LINGVAE ARABICAE
EXTRAORDINARII
SOLLEMNI AVSPICIO CAPESSENDI CAVSA
*AVDITORIO PHILOSOPHICO
HABENDAM
DIEM Jan HORA IX. A. MDCCXXVIII.*
INVITAT
IOAN. CHRISTIANVS CLODIVS
HAYNA-MISNICVS.

Hist. litt. gen: XVII. 17.

~~XVII. 17.~~

Hist. liter.
95,28



fluxit iam aliquantum temporis,
ex quo linguae Arabicae Professo-
ris Extraordinarii, arduo muneri,
clementissime mihi demandato, sa-
tis facturus, Programma ad Prae-
lectiones Arabicas in uitatorium,
octo foliis constans, edidi, quod
in plerorumque manibus versari

arbitror. In hoc eorum, qui praestantissimam hanc lin-
guam, canina, ut Quintilianus phrasit utar, eloquentia alla-
trare, ac in contemptum adducere non verentur, obiectio-
nes diluere, iniustasque criminationes, quibus cultores
eius differunt, refellere, ac summam eius utilitatem,
rationibus luculentis atque haud vulgaribus, nec è triuio
petitis argumentis, adstruere laborauit. At eo tamen
fine id non feci, ut quas extrudere vellem, venales mer-
ces laudarem, quorundam mercatorum exemplo, qui
verborum fuso illarum mucorem detergere, aut illitis
mangonum imitatione pigmentis, ac coloribus adulteri-
nis, maius pretium iis conciliare, sique incautos emto-
res fallere student. Neque in eo fines iustae aestima-
tionis transiliui, sed verum huic linguae pretium statui,
quod Philarabes quidam minus obseruasse videntur. Ve-
rum enim vero, cum recens in me collatum munus, tunc
consueta oratione auspicari, ob causas non leues distu-
lerim, nunc demum instituto illi laudabili morem geffu-
rus, in novo hoc Programmate brevior esse potero, quo
eruditos, per varias Europae regiones, benemeritos de
linguis Orientalibus, strictim recenzebo. Est enim ea ha-
rum linguarum, inter quas Arabica, velut inter viburna
cupressus, eminent, praestantia, ea dulcedo ac suauitas,
ea ad consummandam omnem literaturam necessitas,

vt

vt multorum ad se animos rapere ac irretire valuerit,
nec exiguus eorum sit numerus, qui hoc literarum ge-
nus, auctum summopere et promotum iuerunt. **Quis**,
vt a Gallis, venusti ingenii hominibus, exordiar, *Bochar-*
tum, Cappellos, Flauignium, Fourmondum, Gaulminum, Ge-
nebrardum, Herbelotum, Iunium, Simeonem de Muis,
Mercerum, Stephanum Læ Moine, Morinum, Postellum;
Plantauitum, Petitum, Ryerium, Iosephum Scaligerum,
Salmasium, Theuenotium, Vattierium, Vatablum, Voi-
finium, non nouit? Ex Anglorum gente, ad Mathema-
ticas artes, et linguas excolendas, nata, Adhelhardus Ba-
thoniensis, Ainsworthus, Bedwellus, Bernardus, Booti-
us, Beuerigius, Castellus, Cartwrightus, Clarekius, Gra-
vius, Hydius, Huntingtonus. Knatchbullus, Langbainius,
Lightfootus, Leighius, Ockleius, Pocokius, Robertus Kete-
nensis, Smithus, Seamannus, Seldenus, Tailorus, Warne-
rus, Whelocus, Vfferius, cui non innotuerunt? Quid?
quod in beatae huius Insulae academiis, Oxoniensi et
Cantabrigiensi, peculiares linguae Arabicae Professores,
Archiepiscopi Cantuariensis Guilielmi Laudi, et Equi-
tis cuiusdam aurati, Thomae Adami, sumptibus sunt
constituti. Quem doctissimorum inter Hispanos viro-
rum, Bernhardi de Aldrete, Petri de Alcala, Aiae Mon-
tani, Antonii Nebrissensis, Cassiodori de Reyna, Iacobi de
Ledesma, Leonis de Castro, Sebastiani de Couarruicias,
Ferd. de Corduba, Maluendae, Riberae, Sanctii, Stunicae,
Xauerii, quem Italorum, Aegidii Viterbiensis, Bartoloccii,
Bratutti, Giattini, Giggei, Guadagnoli, Giustiniani, Ghali-
ni, Martellotti, Maraccii, Obicini, Raymundi, Petri della
Valle, Pagnini, Scacchi, Vecchietti, clarissima nomina
latent? **Quis eruditorum est, ad cuius aures, celebrium Bel-**

garum, Amamae, Clenardi, Drusti, Hulsii, Erpenii, Golii,
Ludouici de Dieu, Leusdenii, Raphelengii, Relandi, Surenbusii,
Vchtmanni, Dionysii Vossii, Vitringae, fama non per-
uenit? Nec in septentrione, et platis Arctois, harum lin-
guarum, in regionibus calidis et sole perustis natarum,
studium friguit, quin potius multorum animos inflamma-
vit, cum Sueci suos Enemannos, Rudbeckios, Peringeros,
Terseros, Normannos, Sparuenfeldios, Palmrodios, Dam
et Holsati, Ansgarios, Bangios, Resenios, Rostgaardios, Lun-
dios, Lintrupios, Noldios, Petreios, Wandalinos, Zoegas,
ostentent. Ex quo, linguarum Orientis amorem, to-
tius Europae fines peragrasse, ac singulas nationes,
Helenam istam amplexatas esse ac deperiisse appa-
ret. Nec Germani nostri obtusa adeo pectora gesserunt,
quin harum literarum utilitatem perspicientes, iis summe
delectarentur. Quot enim et quanti Viri, inde a tempore
restauratae in his terris verae religionis, ad has discendi
epulas audiissimi fuere, quorum vix numerus iniri potest,
ac inter eos, Auenarium, Ankemannum, Auogallum, Bus-
mannum, Beckium, Bertratum, Christmannum, Carpzo-
rium, Dilherrum, Dassouium, Eisenmengerum, Edzardum,
Laurentium et Ioannem Fabricium, Forsterum, Fagium,
Frischmuthum, Gutbierum, Geierum, Io. Ern. Gerbar-
dum, Glassum, Hackspanium, Hammerum, Helicum,
Hillerum, Kempferum, Kühnium, Kircherum, Ioannem à
Lent, Munsterum, Maium, Opitum, Pellicanum, Pfeiffe-
rum, Radmannum, Rhenferdum, Rittmeierum, Rittange-
lium, Sennertum, Schindlerum, Saubertum, Sikium,
Schmidium, Scheidium, Trostium, Terentium, Wagen-
seilium, Wasmuthum, Welschium, Wellerum, Wolffru-
mum, Wülfferum, Zecchendorffium, prout memoria mi-
hi

hi suggessit, refero, ac hodienum viuentes, illarum linguarum peritia abundantes, lubens praetereo. Attamen quod citra inuidiam, aut ullius contemptum dixerim, non nulli ex hoc grege, peculiari quarundam linguarum cultu, palmam reliquis praeripuerunt, ac praecipuo vnius linguac et eximio studio, doctae velut monades in eo existiterunt, ceterisque Europae eruditis facem praetulerunt. Ita linguarum Aethiopicae, Armenicae, Sinicae, Malabaricae, praecepta exactissima a Germanis profluxisse, ac sola Teutonum ingenia, in iis clariore luce profundendis, elaborasse insignitus, nemo diffiteri potest. Ac inter ipsos nonnulli, tanquam luna minores inter ignes effulserunt, et ciuibus suis, primo aliarum linguarum studio, lumen accederunt. Sunt, qui maiores nostros, Veteri Germanos, literarum plane expertes fuisse existimant, sed ex male intellectis Taciti verbis c. 19. de German. extantibus, hanc opinionem ortam esse, alii censem, ac secreta literarum, quae illos ignorasse Tacitus ait, ob praecedentium verborum nexum, per (a) tabellas amatorias seu codicillos, secretae et furtuae libidinis interpretes, explicant, alii secretas literas, et characteres occultos, vulgo ignotos, et principibus tantum ac sacerdotibus cognitos, intelligunt, in quam sententiam nuperrime, Vir antiquitatum Germanicarum callentissimus, Wachterus, in specimine Glossarii Germanici p. 260. discessit. Neque tamen si vera esset ea ruditas, in populi illius prima aetate ac infantia, posteris eius ignominiae cederet, quippe qui in re literaria promouenda acerrime contenderunt.

) 3

Equi-

(a) Vid. Ill. Bergeri priscus Germanus hanc illiteratus, it. Dithmarus et Gronovius ad b. 1,

Evidem haud puduit exteris quosdam eruditos, inter Gallos, Anglos, Italos, asserere, Germanos fere omnes ingenio destitui, et parum abest, quin cum (b) Mohamme, Iudeos asino libros portanti comparante, animali illi $\alpha\chi\theta\circ\phi\circ\varrho$ assimilent, alii tamen elegantissimae inter illos doctrinae viri, experientia rerum magistra conuicti, hos iniquissime et imperitissime iudicasse censuerunt. Audiamus Iohannem Bodinum, qui Germanos, (c) inquit, tantum profecisse, ut humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, Religione Hebraeis, Philosophia Graecis, Geometria Aegyptiis, Arithmetica Phoenicibus, Astrologia Chaldaeis, opificiorum Varietate omnibus populis superiores esse videantur. Ex nostris quoque, hanc sententiam nasutulorum illorum hominacionum, nonnulli solide refutarunt, et tumidos illos ac inflatos Germanorum osores, multo sale defrancarunt, ac ventosam eorum arrogantiam egregie depe-xam dederunt. Et certe, si ad perfectum omnibusque numeris absolutum linguarum studium, singulae animae facultates, memoria, ingenium, iudicium, eminentiori gradu concurrere debent, vel eo nomine Germani nostri aestimatione digni forent, quod praeter artes et disciplinas omnes sedulo excutas, singulares ac pene admirandos progressus, in eruditionis linguarum studio fecerunt. Id quod Oratione, de praecipuis quorundam Germanorum in linguis Orientales meritis, dicto die habenda, fusius ostendam, qua Professoris Publici linguae Arabicae Spartam, nutu clementissimi nostri Regis

(b) Sura LXII. v. 5.

(c) De Republ. l. 5. c. 2. Conf. Sentimens de Cleanthes sur les cestreniens d. Eugene et d' Ariste p. 78. Chevraeana p. 92.

Regis Poloniarum et Electoris Saxoniae,
FRIDERICI AVGVSTI,

pridem mihi collatam, dedicabo. Neque ita multo post, in lectionibus meis publicis, DEO bene iuuante, pergam, ac vt aestate praeterita, Alcorani caput vigesimum quintum, praeeunte commentatore meo Manuscripto, Beidaui, explicaui, ita per hiemem Codicis Hebraei versionem Arabicam, a celebri Hebraeorum magistro, Rabbi Saadia Haggag, id est excellente dicto, confectam, interpretabor, ea methodo, vt primo singulos versus ex Grammatica a me edita, cui duo illius versionis capita adieci, resoluam, secundo voces ac phrases criticis obseruationibus illustrem, earumque cum lingua Hebraea affinitatem et harmoniam commonstrem, tertio Arabicae interpretationis a textu originali diuersitatem, eiusque differentiae causas ostendam. Disputationes quoque, de nonnullis Hiobi ac Prophetarum Arabismis, de Canonibus Concilii Niceni Arabicis, de famosorum in Oriente Suphiorum secta, de Iesu et Maria in Corano, de Numis quibusdam et sigillis Arabicis, de singulis Theologiae Mohammedicae, ac historiae linguae Arabicae, in relationibus literariis germanicis prolixius expositae, capitibus, Germaniam orientalem, Patriarcharum Alexandrinorum vitas, ex MSto Vffenbachiano, quod nuper in Actis eruditorum breuiter delineauit, edere constitui, dum modo benignior conatibus nostris aura adspiret, et quae huc usque defuit occasio, talia cum republ. literaria communicandi, amplius non denegetur. Agite igitur, et si quid in vobis
Germa-

Germani sanguinis est, de quo nullus dubito, si Academiae, si nostrae nationis gloria, vobis cordi est, adeite, et me de laudibus eius, studio linguarum partis, modeste peroraturum auscultate. Audite, quanta diligentia, quanto feroce, nullis vigiliis, nullis, sumptibus parcentes, maiores nostri in illas literas incubuerint, et orationis argumentum, forsan multis iam notum, nec adeo abstrusum ac reconditum, aut eius tractationem haud satis elaboratum, nec calamistratam ac cincinnis ornatum, ne contemnите. Approbate frequentia vestra studium hominis, qui patrum vestigiis, quorum minimus digitus crassior est lumbis eius, אשר קתנים עבה ממתנוו ut Hebrei loquuntur, insistens, eo vnice Dei summi Glossarchae promouere gloriam, ac aliis prodesse conatur, nam honores aut diuitias, vulgaria eruditionis idola, me non quaerere, isthoc, quod suscepi, munere, intellectu facile ac in propatulo est. Te, Rectorem Academiae Magnificum, Vos illustrissimos Comites, Vos utriusque Reipubl. Proceres grauissimos, Vos lingvarum et artium studiosos aestumatissimos, ad hunc sollemnem actum, ea qua pars est reverentia, ac officiose inuito, vt ex vestra praesentia maior ei splendor ac lux, Oratori autem imbecilli fiducia accedat, qui diutius tacere non potuit, ne modestia in conscientiam imperitiae ducatur. P.P. Lipsiae

d.

An. M DCC XXVII.

LITTERIS IMMANVELIS TITII.

